



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

Cenvra Doctoris Ioannis Ballester Philosophiae ter Pvblici, terque Primarij  
Professoris, sacrae Theologiae Censoris, in Metropolitana Sede Archidiaconi  
Muri Veteris, & pro Excellentissimo Domino suo ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



CENSURA DOCTORIS IOANNIS BALLESTER PHILOSOPHIE TER PVBLCI,  
terque Primaryj Professoris. sacrae Theologiae Censuris, in Metropolitana Sede Archidiaconi Muri Ve-  
teris, & pro Excellentissimo Domino suo Archiep. Valentino Vniuersitatis Valentinae Procancelarij.



QUA rationis lance perpendi aureum R. P. D. Martini de Alcolea Carthusiensis opus, tot desideratum sulphureis, quot plausibus & gratulationibus excipiendum. Hoc unum Magni Dianæ operibus deerat. Quid non debuit ab incunabilis Ecclesia Præcurfiori Joanni Agnum, *Qui tollit peccata mundi*, apertissime indigenti? Aded, ut dixerit B. Thomas à Villanova, non multum Christi adventum nobis sine Joanne demonstrante profuturum; fuisset enim Verbum sine voce, mutum; thesaurus sine notitia, sepultus, Celeberrimus toto orbe, ac præconiis major Diana, tot extumulatis opinionibus, tot compilatis probabilibus sententiis, tot nerveus rationibus.

Sed noster Alcolea est digitus illum demonstrans, clarissimusque fundamentorum ejus index, & Methodus: aded ut ausim dicere, non multum saltem ignavis, tyronibus, & desidibus sine indigente Alcolea, Joannis ad instar, profuturam Dianam. Ex Mithologorum penu hausimus Viraginem Dianam gemellam cum Apolline, eodem à Latona Jovis conjuge prodisse natalitio. Haud aliter nunc fausto puerperio prodeat in lucem nemoralis Diana ut ajebat Statius, cum Apolline. Antoninus Diana scilicet cum Martino Alcolea. Fallor, nisi ad tantæ molis opus lineamenta ductabat! Ovidius 1. Metamorphos. lib. loquitur ibi de primo ævo orbis chaos, & indigesta elementorum mole, & tunc ait quodd nondum lucebat Phæbus, nondum radiabat Diana. (Phæbe enim, ut norunt pueri, eadem est ac Diana) Deum vero fuisse qui in seriem miscellanea elementa digessit, ipsum audite:

*Ante mare, & terras, & quod regit omnia cælum,  
Vnus erat toto natura vultus in orbe,  
Quem dixeret Chaos rudis indigestaque moles,  
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem  
Non bene iunctarum discordia semina rerum.*

Sed quid tunc? Quid: Phæbe, seu Diana (quæ eadem est) nondum argentea lucis cornua diffuderat, quotisque Deus (nam Divinum sapit talis ordinatio) Miscellanea principia in statutos tractatus digessit. Loquatur ipse Ovidius.

*Nec nova crescendo reparabat cornua Phæbe,  
Hanc Deus, & melior litem natura diremit.*

Verterem ego:

*Hanc Deus & cum illo litem Alcolea diremit.*

Nam hanc nunquam satis laudati Dianæ non rudem, sed preciosissimam tumultuarij acuminis molem, in seriem gratissimam redegit, & vastissimi corporis compagem indefessa distinxit anatome, diffusamque non confusam Miscellaneo aciei impetu feracem Cæsariem eburneo luculentioris distributionis pectine discriminavit, & ut prosequitur Nalo:

*Dissociata locis concordia pace ligavit,  
Congeriem secuit, scietamque in membra redegit.*

Literaria Respublica D. Martino de Alcolea de studiorum progressibus benemerito gratulabunda plaudit, antea enim cum Ovidio in epistolis dolebat, dicens:

*Quid juvat incincta studia exercere Diana!*

Nunc vero gloriantur Theologi, dum è centoribus in receptacula Quasi sylvescentes Resolutiones coëgit Alcolea, qui Provinciam arduam Herculeo tamen nisu suscepit. Ex hoc non tam atramento, quam nobili sudore liquatis gemmis pretiosiores Dianæ Resolutiones exaratae manebunt. Aufonius Noctinot ad suaviorem Dianæ intelligentiam semitam aperuit, compendium namque paravit: Alcolea vero regiam viam stravit, ac egit, ut Resolutiones quæ hucusque Politiorum terantur manibus, nullâ temporum injuria, aut studentium fastidio pedibus terantur: prodeunt enim feliciq Literatorum auspicio, jucundo Confessoriorum levamini. Felix Diana qui talem ac tantum meruit Compilatorem habere, qui ex latè patenti ejus florilegio argumentosa apis suavissimos altiori methodo construxit favos. Miscellaneos Dianæ tractatus arenam sine calce forte diceret Zoïlus, ut in Senecam improperabat nonnullus. O mirum Dianam! cui dum pungitur, blandiuntur, & eminet dum opprimitur. Senecam sapit, dum minus sapit. Quid plura! Alcolea tamen has rimulas detractoribus oclufit, dum non arenam sine calce, sed ædificium ex adamantibus stricta preciosa visionis unione miro ordine compactum molitur. Parce Diana, vitorum doctissime; jam enim cum Christo potes dicere: doctrina mea non est mea, sed Alcolea. Si Jurisconsultis Nerva & Proculo annuimus contra Sabinum & Cassium, ut refert Cajus 1. Adeo quidem 7. §. Cum quis de acquirend. rer. domin. asserentibus: Cum qui ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit, Nerva & Proculus putant hunc dominium esse illius qui fecerit, quamvis Justinianus novo fœdere discordiam conciliaverit. Consonat etiam lex 26. ff. eod. Sic etiam 1. 2. de origin. jur. sexto. Papyrio tribuuntur leges ante ipsum latae, & non Romuleo: Sed appellatur jus civile Papinianum, ait textus, non quia Papyrius de suo quidquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine lasas in unum composuit. Ergo Resolutiones Dianæ, quas Alcolea in unam velut symphoniam, & consonantiam reduxit, non jam Dianæ, sed Alcoleæ Resolutiones sunt nuncupandæ. Prodeant ergo, prodeant in lucem, nam cujusvis literaturæ viris non tam auguror quam video placituras. Sic sentio. Valentia undecimo Kalendas Decembris ann. 1656.

D. JOANNES BAPTISTA BALLESTER.

CENSUR